



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

Capitvlm I. S. Petrvs Apostolv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115



LVITPRANDVS TICINENSIS DIACO- NVS, DE PONTIFICVM ROMANORVM VITIS.

CAPITVLUM I.

S. PETRVS APOSTOLVS.

EATVS Petrus Apostolus, & Princeps Apo- ANNOCHRI-
storum, Antiochenus, filius Ioannis, Prouin- STI XLV.
ciæ Galileæ, vico Bethsaïda, frater Andreæ, pri-
mùm sedit in Episcopali cathedra Antiochiæ
annos 7. & post ad expugnandum Simonem *Hier.de scrip.*
Magum, ut Hieronymus dicit, Romam ingrel- *Eccles.in Pe-*
sus secundo Claudi anno in Episcopali cathe- *tro.*
dra sedit annos 25. menses 2. dies 3. Qui uno eodemque tempore
& die, videlicet, post passionem Domini anno 38. ultimo verò an-
no Neronis 3. Calend. Iulii cum Paulo martyrium consummauit. *2. epist. Petri*
Hic duas epistolas fecit, quæ canonice nominantur, in quarum *canonice.*
prima, primò generaliter Ecclesiam instruit, explicans beneficia,
quibus nos diuina pietas ad salutem vocare, vel dona, quibus ali-
quando Iudeos, nunc autem nos honorare dignata est. Postmo-
dum verò diuersas fidelium personas sollerter hortatur, ne se tanta
spiritus gratia carnaliter uiuendo reddant indignos, ne qui regali
ac sacerdotali vocabulo sunt insigniti, vitiorum malitia subacti, à
condonatæ vel promissæ sibi nobilitatis gloria degenerent. Et pri-
mò liberos & seruos, deinde mulieres & viros specialiter alloquitur:
atq; post interlocutionem generalis exhortationis, seniores quoq;
& adolescentes qualiter sese debeant gerere, ostendit. In secunda

A

verò

LVITPRANDVS DE VITIS

verò epistola, quam eisdem scripsit, quibus & primum miseratus eodem iam ut perfectiores ad maiora & perfectiora multipliciter *Marci Euani.* commonet, & hortatur. Et Euangelium Marci fecisse dicitur, quia Marcus adiutor eius fuit, & filius de baptismo. Ordinavit autem Episcopos tres, Linum, & Cletum & Clementem, & presbyteros 10. & Diaconos 7.

C A P . II.

S. LINVS.

A.LXIX.

LINVS natione Italus, regionis Tusciae, patre Herculiano, sedit annos 11. menses 3. dies 12. Fuit autem temporibus Neronis, à consulatu Saturnini & Scipionis, usq; ad Capitonem & Rufum consules. Sub quibus martyrio coronatur die nono Calend. Octob. Hic ex præcepto beati Petri constituit, ut mulieres velato capite in Ecclesiam introirent. Hic ordinavit Episcopos 15. presbyteros 18.

C A P . III.

S. CLETVS.

A.LXIX.

CLETVS, natione Romanus de regione vico patritii, patre Æmiliano, sedit annos 2. mensem unum, dies undecim. Fuit autem temporibus Vespasiani & Titi, à consulatu Vespasiani 7. & Domitiani 5. usque ad Domitianum 9. & Rufum consulem: sub quibus martyrio coronatur, sexto Calend. Maii. Hic ex præcepto B. Petri 25. presbyteros ordinavit in Roma. Nota hos duos, Linum & Cletum nihil Pontificale, nisi ex præcepto B. Petri egisse, unde constat eos coadiutores eius, non successores fuisse.

C A P . IV.

S. CLEMENS.

A.XCIII.

a Adhac reponet Baron. i. tom. ann. 69.

CLEMENS, natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Faustino, sedit annos 9. menses 2. dies 10. Fuit autem temporibus Galbae & Vespasiani à consulatu Tragali & Italici, usque ad Vespasiani 9. & Titum*. Hic quamuis in ordine Catalogi post B. Petrum tertius inueniatur, reuera tamen, sicut ipse in epistola scripsit Iacobo Hierosolymorum Episcopo post beatum Petrum primus